

De feбри puerperali : dissertatio ... / auctor Henricus Thielbein.

Contributors

Thielbein, Heinrich.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1844.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dctq9jbu>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ed 243

DE

FEBRI PUERPERALI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

SENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE I. M. APRILIS A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS THIELBEIN

PALAEOMARCHUS.

OPPONENTIBUS:


C. SCHREIBER, med. et chir. Dr.

A. BIENENGRÆBER, med. et chir. Dd.

G. A. LAUDE, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.



ERRI PETERMAN

UNIVERSITY OF TORONTO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

1827-1828

1829-1830

1831-1832

1833-1834

1835-1836

1837-1838

A M I C O

S U O D I L E C T I S S I M O

FRIDERICO LINDENBERG,

DOCTORI MEDICINAE ET CHIRURGIAE,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR

PROOEMIUM.

Lege pactum est academica, ut, qui summos ambiat in utraque medicina honores, dissertationem concinnet, cui legi obtemperaturus equidem hasce pagellas de feбри puerperali conscripsi, cujus sedem, aetiologiam et therapiam secundum recentiorum pathologorum opinionem accuratius exponere studui. Novam enim theoriam aut propriam sententiam de causa proxima et pathogenia in lucem proferre, virorum est ingenii sagacitate conspicuorum et egregiis experientiae opibus iustroctorum, minime autem tironis, qui in studia academica per legitimum tempus modo incubuit et cui, ut satis multos

hujus morbi casus observaret, ne occasio quidem omnino oblata fuit.

Quam ob rem, L. B., te oro rogoque, ut mihi, nec nova, nec forte ubique bona dicenti, indulgeas, nec, tironis tantum esse hocce opusculum, unquam obliviscaris.

L I T E R A T U R A.

- D**enham, On the puerperal fever. London 1768.
- J. Leake, Practical Observat. on the childbed fever. London 1772.
- Thom. Kirkland, A treatise on the childbed fever. London 1774.
- De la Roche, Untersuchungen über die Natur u. Behandlung des Kindbettfiebers. Berlin 1783.
- Dr. F. C. Naegele, Schilderung des Kindbettfiebers, welches vom Juni 1811 bis zum April 1812 in der grossherzoglichen Entbindungsanstalt zu Heidelberg geherrscht hat. Heidelberg 1812.
- Jgn. Nadherny, Dissert. de feбри puerperali. Prag 1812.
- Neubauer, Diss. de feбри puerperali. Wien 1812.
- Siebold, über das Kindbettfieber. In den Annalen der Geburtskunde.
- Wilh. Hey, A treatise on the puerperal fever illustrated by cases. London 1815.

Arrault, Essai sur la péritonite puerpérale. Paris 1816.

Sedillot, Recherches historiques sur la fièvre puerpérale. Paris 1817.

Armstrong, Observat. relative to the fever puerperal. London 1819.

Robert Lee, Untersuchungen über das Wesen und die Behandlung der wichtigsten Krankheiten der Wöchnerinnen. Aus dem Englischen von Schneemann. Hannover 1834.

DIVISIO ET DESCRIPTIO MORBI.

Febris puerperalis morbus ille est perniciosus, quo puerperae vel paullo ante, vel paucis diebus post partum afficiuntur.

Non est negandum, ad nostrum usque tempus diversissimas easque contrarias opiniones de natura hujus morbi a medicis in medium esse prolatas, quippe quum alii peritonaei, omenti aliorumque viscerum inflammationem causam febris puerperalis esse putantes, detractiones sanguinis et laxantia adhibuerint; alii, topica et universalia symptomata tantum a febre specifica deducentes, venae-sectionem rejecerint atque medicamentis irritantibus usi sint.

Constat autem febris puerperalis sic dicta secundum recentiores pathologos ex inflammatione vel peritonaei uterum circumdantis saccique peritonaei, vel partium cum utero junctarum, scilicet ovariorum, tubarum Fallopii et ligamentorum latorum, vel uteri substantiae, vel vasorum resorbentium venarumque. Ad hanc autem inflammationem febris accedit, quae vel erethicum, vel in-

flammatorium, vel gastricum, vel typhosum ostendit characterem. Liceat mihi nunc singularum modo commemoratarum morbi specierum, quae aut segregatae, aut conjunctae inter se esse possunt, symptomata afferre.

In specie prima, ubi peritoneum uteri et saccus peritonei inflammatus est, haec fere symptomata oriuntur: puerperae in universum secundo vel tertio post partum die dolorem plus minusve vehementem et secantem, pressione augendum, sentiunt. Rarioribus casibus hic quidem dolor primis horis intermittit, mox autem continuus fit et tantum remittit. Alvus, initio mollis et laxa, posterius tympanitice intumescit, ubi dolor vel desinit, vel priore acrior fit. Ad formam gastricam haud raro vomitus atrii vel atro-viridis liquoris, et ad typhosam diarrhoea accedit. —

Quod attinet ad febrem comitantem, quattuor illae formae primariae exhibentur: erethica, ubi primum horripilatio, tum ardor, qui postremo continuus fit, animadvertuntur; praeterea pulsus frequens, cutis sicca, urina rubella; — inflammatoria, ubi post horrorem magnum ardor vehemens, pulsus plenus, durus, tensus, cutis ardens, urina rubra, urens, alvus obstructa; — gastrica, ubi pulsus frequentissimus, mollis, plenus, undosus, urina erysipelacea; — typhosa, ubi pulsus est parvus, debilis, filiformis, frequentissimus. — De lochiis id memoratu dignum mihi videtur, modo prorsus ea supprimi, modo deminui et interdum valde foetere.

In secunda febris puerperalis specie, ubi partes utero

vicinae, scilicet ovaria, tubae Fallopii et ligamenta uteri lata, inflammatione sunt correptae, dolor, vulgo minus vehemens quam in specie prima, praecipue in fossa sentitur iliaca, unde lumbos vel anum petit. Symptomata universalia ad speciem quadrant primam.

Quod attinet ad speciem tertiam, ubi substantia uteri propria inflammata est, aegrotae doloribus in hypogastrio vexantur et horroribus; pulsus celer, frequens, parvus invenitur. Praeterea lochia vel sunt suppressa, vel minuta. Cutis, initio ardens et sicca, postea frigida fit et interdum pallida vel coerulea.

Jam transeamus ad speciem quartam, scilicet inflammationem vasorum resorbentium et venarum uteri, quarum illa, si topica morbi signa respicimus, saepe latet, dum universalia symptomata tam maligna sunt, ut nulli cedant remedio; haec doloribus manifestatur vehementibus in uteri regione, horrore accedente, lacte et lochiis suppressis, accelerato, pulsu capite dolente, et quae sunt alia id genus. Quae symptomata ardor sequitur, tremor musculorum, pulsus frequens, debilis, respiratio anxiosa, sitis magna, vomitus materiae viridis. Animi vires valde affici solent. Tota corporis superficies haud raro vel pallida, vel flava fit, vel petechiis obscuratur. Etiam alvus interdum intumescit, et nonnulla organa, magis remota, sicut pulmones, cor, cerebrum, hepar, praeterea articulationes, tela cellulosa et extremitatum musculi congestionem malignam et inflammationem delentur. Haec fere sunt symptomata uteri phlebitidis intra primas viginti quattuor

horas post partum incipientis; sin vero seriore post partum tempore oritur, tum dolores deficiunt nullumque est symptoma, ex quo morbus cognosci possit.

DIAGNOSIS.

Facile permutari potest febris puerperalis cum morbis intestinorum; cum contractionibus uteri irregularibus, quae doloribus post partum provocatae sunt; cum febre lactea.

Quod attinet morbos intestinorum, dolor in his magis super totam sese extendit alvum, non ab utero incipiens. Alvus plerumque mollis, tensa, lingua obtecta, magna sitis, dolor capitis inimicus, neque lochiorum, neque lactis secretio suppressa. Praeterea febris puerperalis plurimis in casibus ante quinti diei finem post partum, interdum jam intra viginti quattuor horas exoritur, dum illae affectiones raro ante primae hebdomadis exitum apparent.

Difficilius interdum est dijudicatu, utrum dolores post partum adsint, an febris puerperalis; attamen illi plerumque sine febre exstant, post partum oriuntur, lochiorum fluxu adaucto, finiuntur, et rarissime afficiunt primiparas.

Ut denique de permutatione cum febre lactea mentionem faciam, monendum est, hanc tantum primis tribus

post partum diebus, febrem puerperalem saepe serius exoriri; praeterea in illa febre lactea alvum non dolere, tensionem autem et intumescantiam mammarum animadverti, in hac dolorem alvi cum meteorismo esse conjunctum.

AETIOLOGIA.

Praedispositio ad febrem puerperalem praecipue exhibetur graviditate, quae propter fibrinam in sanguine praevalentem, propter perpetuam succorum turgescantiam ad uterum, propter uteri amplificationem tamquam status inflammationi similis ducenda est. Quae quidem opinio etiam sanguine, crusta inflammatoria obfecto, in venae-sectione affirmatur. — Tum in partu ipso praedispositio data est, quippe in quo dolore vehemente, evacuatione repentina et contractione, placentae solutione, uterus valde irritetur, ita ut puerpera tamquam proprio modo vulnerata habenda sit. — Deinde secretio lactis, propter nexum uteri sympathicum cum mammis, uterum ad hunc morbum praedisponit. Vitiis denique in vivendi ratione, nimis multis cibis ultimis mensibus, motu deficiente, coitu irregulari, affectionibus animi deprimentibus, obstructione perpetua, alligatione abdominis arcta, medicamentis non accommodatis, magna jam ante partum ad hunc morbum

inclinatio adducitur. Etiam post abortum febris exoritur puerperalis, et quidem saepe cum vi maxima.

Causae occasionales praecipue hae sunt: refrigeratio in partu et post eum, aër impurus, diaetae vitia; porro animi motus, scilicet tempore partus angor, timor, dolor, post partum laetitia et gaudium, interdum moeror, sollicitudo, curae; tum partus gravis, vis in eo adhibita, placentae partes relictæ, lochia suppressa, febris lactea irregularis, curatio ejus parum apta; praeterea surrectio nimis matura ex puerperarum lecto, dolores post partum male curati.

Ad febrem puerperalem provocandam insuper constitutio epidemia nondum investigata necessaria videtur, quippe quum hic morbus in quibusdam tantum annis exoriatur. Quo modo genita et sub nervoso erysipelatoso caractere ad epidemiam progressa, febris puerperalis contagiosa fieri atque ita ad mulieres sanas transire potest. De natura contagii nihil certi exstat; id autem secundum Schoenlein exploratum videtur, illud inter contagium et miasma ponendum esse magnamque similitudinem cum contagio gangraenae nosocomialis habere. Secretionibus aegrotarum, imprimis secretionibus intestinalium et genitalium contagium ad alias propagatur puerperas. Contagii autem evolutionem eo, quod multae febri puerperali laborantes in conclavibus aëri non patentibus coërceantur, maxime adjuvari, non est dubitandum. Ceterum effectus contagii in arctis versatur finibus, quam

ob rem saepe tantum una domus obstetricia, vel unum in ea conclave inficitur.

EXITUS MORBI.

Exit morbus vel in valetudinem, vel in morbos alios, vel in mortem.

Exitus in valetudinem fit crisis diebus criticis inde a quinto usque ad vicesimum primum diem, et sudoribus quidem copiosis, specificum odorem spargentibus, urina turbida, sedimenta diversa formante, mammis lacte impletis, copiosioribus lochiis, faecibus pulti similibus. Plerumque autem crises per intervalla, sub forma lysis, sese ostendunt, qua re perturbationes et pseudocrises haud raro inveniuntur.

In morbos alios saepissime exit febris puerperalis, et inter hos potissimum nominentur: primum exsudatio liquoris serosi, lacti similis, haud raro umbilicum perforantis, vel depositiones lactis in partibus formans externis, praecipue in extremitatibus inferioribus, in coxae articulatione; partes illae tum celeriter intumescunt, rubescunt, dolent, et mox fluctuatio percipi potest. Ex abscessu aperto liquor lacti similis effunditur.

Deinde concretiones peritonaei cum partibus vicinis haud raro observantur, atque etiam suppuratio pro diversitate partium inflammatarum, quamvis rarius, occurrit.

Ad mortem febris puerperalis ducit transitu inflammationis in gangraenam, febris vehementia et malignitate, saepissime autem exsudato lymphatico in abdominis cavo, vel lactis depositionibus, vel pulmonum affectionibus, febrem hecticam provocantibus.

SECTIO.

Corpora puerperarum febris puerperali mortuarum nunquam rigorem illum mortis ostendunt, sed mollia manent ac flexilia; attamen mox putrescunt. Abdomen paullo post obitum celeriter intumescit ac decolor fit.

In sectione saepe in cavo abdominis, saepius autem in ventriculo et intestinis aër accumulatus invenitur. Praeterea symptomata inflammationis peritonaei perspicua adsunt; rubor quidem plurimis in casibus exiguus est, quia saepissime exsudatio seroso-lactea in abdominis cavo reperitur. Saepe etiam peritoneum pseudomembrana lymphae plasticae obtectum est. Qua exsudatione inflammatio quasi exhauritur, ita ut vasorum capillarum rubor multo fiat exilior, quam cogitare liceat.

Saepe in hoc morbo phlebitis uteri et pelvis, interdum etiam phlegmatia alba dolens occurrit. Haud raro etiam invenitur arachnitis, pleuritis, pericarditis cum magna extravasatione lactea. Haec autem extravasatio, ut illa in abdominis cavo, quamvis lacti similis et odore

specifico, acidulo, praedita sit, non idem est ac lac, sed ex albumine, fibrina et specifico acido est composita; quod specificum acidum diversitatem praebet inter hanc et alias exsudationes. Quantitas ejus diversissima est, etenim variat inter duas et sex libras. Ex qua expositione exsudationem illam non lactis metastasin habendam esse sequitur.

Secundum Lee, qui Londini multas puerperarum sectiones instituit, in inflammatione peritonaei uterum circumdantis haec fere inveniuntur: peritonaicum vas abundat sanguiferis, rubrum est ac tumidum, et intestina lympham conglutinantur, vel liquoris turbidi, flavo-albi, aquosi, albumine aut pure mixti, interdum sanguine tincti exsudatum in peritonaei cavitate locum tenet. Interdum exsudatum intestina conglutinans fere prorsus ex lympham constat densa; alias lymphae particulae, cum multa lympham aquosa mixtae deprehenduntur. Omentum saepe colorem habet purpureum, vasculosissimum est, ac lympham cum intestinis, interdum etiam cum uteri fundo conglutinatum. Nonnunquam omentum nonnihil tantum rubrum est, vel prorsus caret rubore. Saepe intestina, saepe etiam saccus peritonaei aëre valde extensa reperiuntur. Lympham circa uterum exsudata consistentiam habet majorem quam locis aliis. Etiam in tela cellulosa, sub peritoneo, saepius pus et serum exstant. Peritonitis autem circa uterum incipiens vel in utero coercetur, vel latius diffunditur.

Ubi appendices uteri, scilicet ovaria, tubae Fallopii

et ligamenta uteri lata inflammata fuerant, Lee peritoneum saepe modo nonnihil a structura normali aberrans invenit. Superficies organorum illorum rubra erat ac vasculosa, saepe in lympa vel pure involuta. Quod attinet ad tubas Fallopianas, fimbriae earum valde rubicundae et emollitae erant, purisque depositiones intra cavitatem vel in tela earum sub peritoneo sunt repertae. Pari modo inter plicas ligamentorum latorum liquoris aquosi vel puriformis aderant extravasationes. Ovariorum structura valde erat mutata: latus ad peritoneum spectans rubrum, vasculosum ac lympa erat obiectum; textura modo non erat mutata, modo totum latus auctum, accretum, rubrum, pulvi simile. Ovula Graafiana sanguine vel impleta vel circumdata erant, atque pus in tota ovariorum tela reperiatur. Nonnunquam ovaria in pulvem sanguine abundantem abierant, ita ut structurae normalis vestigia reperiri non possent.

In una puerpera ovarium in saccum pure impletum, cum abdominis pariete concretum, erat mutatum, et, apertura facta, contentum suum foras evacuavit. Apud aliam puerperam uteri appendices inflammatae et inter se conglutinatae cum peritoneo in pelvis margine concretae erant, inflammatione ad telam usque cellulosaam extra peritoneum diffusa, lataque puris collectione in musculo psoadis et iliaci interni decursu provocata.

Secundum Puzos (1) exsudatum fere semper inter

(1) Dépôt laiteux dans l'hypogastre.

partes genitales et spinam anteriorem superiorem ossis ilii inveniendum est, modo sub cute et adipe, modo inter musculos et peritoneum; maximas autem depositiones ait esse in tela peritonei cellulosa, in ligamentis latis, in ovario.

In tertia specie, ubi substantia propria vel musculoſa uteri inflammatione est affecta, tunica uteri interna emollita vel prorsus destructa deprehenditur. Interdum non solum superficiēs interna destructa erat, sed etiam tela musculoſa per totam uteri substantiam ad peritoneum usque atro-rubra, grisea vel flava valdeque emollita erat. Etiam peritoneum, uterum inflammatum obtegens, erat mutatum, quippe quod sub tota superficie lymphā exsudata esset opertum uti in peritonitide simplici, aut colore rubro, flavo, plumbeo reperiretur. Praeterea facile conſcindi poterat, siquidem substantia musculoſa sub peritoneo non erat sana, quamvis multo saepius tela illa musculoſa valde deleta sit reperta, morbo peritonei non respondens. Inflammatio modo maximam substantiae musculoſae uteri partem corripuerat, modo collum, modo partem, ubi placenta erat affixa. Nonnunquam puris depositiones vel sub peritoneo, vel inter substantiae uteri propriae fibras aderant.

Secundum Tonellé, qui Parisiis multas febres puerperales observavit, haec quidem species morbi duas ostendit formas, emollitionem (1) quidem uteri sensu

(1) Tonellé anno 1829 ducentas et viginti duas febres puerpe-

strictiore ac putrescentiam. In emollitione, ubi tantum interna uteri superficies affecta erat, maculae irregulares, superficiales, rubrae vel fuscae, quodque fere punctum superficiei tenebant, marginem non finitum formantes. Quae emollitio superficialis fere semper conjuncta erat cum mutatione aliqua structurae, cum peritonitide vel phlebitide. In putrescentia emollitio in uteri substantiam alte penetravit, interdum uterum omnino occupavit, ubi corpus et collum uteri ne digitis quidem prehendi poterat. Etiam putrescentia nonnunquam cum aliis juncta erat morbis; plerumque autem majorem effecit molestiam, morboque sine exceptione typhosum indidit characterem.

In quarta febris puerperalis specie, ubi vasa resorbentia et praecipue venae inflammatione correptae sunt, venarum uteri parietes plerumque crassiores sunt ac firmiores, et superficies venarum interna nonnunquam lymphae, sub fistulae forma, obducitur. Depositiones quoque lymphae coagulatae et sanguinis fibrinae pure mixtae in cavis venarum, his quidem rebus plane se conglomerantibus, saepissime formantur. Coërceri quidem potest inflammatio in uteri venis; haud raro autem ad telam propagatur musculosam vicinam, quam atro-rubram reddit ac mollissimam. Praeterea secretum illud puriforme

rales lethales observavit, quarum quadraginta novem substantiam muscularem uteri emollitam ostenderunt.

vel lymphaticum, inflammatione provocatum, ut suspicari licet, ex uteri venis in spermaticas, hypogastricas atque ita in venam cavam inferiorem transit, unde in totum disperditur corpus. Quae quidem suspicio eo quoque probatur, quod in omnibus fere aliis organis affectio secundaria in inflammatione et suppuratione uteri venarum est observata; in superficie enim piae matris lympham invenitur exsudata, vel in ventriculis serum; partes cerebri substantiae emollitae ac deletae erant, vel puris in cerebri substantiam effusio aderat. Pari modo aut pleura antea sana repentina ac delente affecta est inflammatione aut pulmones ad hepatisationem vel ad suppurationem sunt redacti. Unius puerperae pleura suppuratione erat deleta, latusque pectoris dextrum aëre extensum. Ventriculi quoque tunicam mucosam in materiem medullarem mutatam et lienis substantiam emollitam ac degeneratam medici viderunt. Sic quoque oculi, inflammatione delente correpti, jam plures ante mortem dies ad videndum non erant apti. Permultae autem puris effusiones etiam in tela cellulosa, in vicinitate articulationum majorum, inter extremitatum formantur musculos, ubi pus intra ligamenta capsularia reperitur.

Secundum Tonellé abscessuum profundorum tegumenta post phlebitidem uterinam semper colorem habent violaceum, vel speciem tensam ac splendentem. Inflammationem nec certis terminari limitibus, nec circumscriptum formare abscessum, sed pus magis dilatatum inter

vicinas evanescere partes, idem contendit auctor. Praeterea musculorum fibras per puris in iis depositionem griseas fieri, ac saepe pus in parvis inter musculos abscessibus inveniri, quo fibrae eorum in specie non mutantur, Tonellé affirmat.

PROGNOSIS.

Febris puerperalis inter morbos gravissimos ac periculosissimos numeranda est. Etiam in gradu ejus minus vehemente natura per se plerumque infelicem adducit exitum, auxilio maturo et apto depellendum; quam ob rem febris puerperalis nunquam sibi ipsi committenda est.

Secundum Hunterum major aegrotarum pars dimidia moritur.

Ad malam vergit prognosis, si morbus initio non cognoscitur aut negligitur, vel si jam ante partum oritur, aut paulo post. Praeterea malum est omen, si morbus vehemens est, cum phlebitide uterina conjunctus, si debiles invadit mulieres, si dolores vehementes, urentes in alvo adsunt, anxietas et inquietas magna, meteorismus magnus, vomitus vehemens, dyspnoea, dolores capitis inimicissimi, deliria vel sopor, pulsus parvus, frequentissimus, extremitates frigidae, et quae sunt alia id genus

symptomata. Arachnitide, pleuritide, pneumonia, pericarditide accedente, multo majus fit periculum.

Ad bonam vergit prognosis, quando diarrhoea est modica, lingua mollis et humida, meteorismus exiguus; quando dolores remittunt, pulsus redit magis quietus, fortior ac plenior; quando cutis calida fit ac mollis, lochia antea suppressa lactisque secretio reveniunt; quando aegrota urinam mittit lacteam et quiete dormit.

THERAPIA.

Tres exstant indicationes, quibus medicus satisfacere debet.

Prima indicatio est causalis. Quae quidem prophylactica est, ubi morbus sponte formatur. Omnia enim hic in eo ponenda sunt, ut secretiones inter graviditatem et post partum sint apertae; quam ob rem gravidae ambulare, nec ventriculum immodice implere debent. Obstructio alvi diaeta aperiente, clysmatibus et eccoproticis tollenda est. Secundinae neque incantius solvendae, neque post solutionem nimis longe in utero sunt relinquendae. Accumulatio faecum in intestinis post partum eccoproticis, e. g. oleo ricini, tamarindis, cremore tartari, sale Anglico, sale mirabili Glauberi removenda est. Animi affectiones cujusvis generis a gravidis et

puerperis arcendae sunt. Praeterea puerperae nec nimis calide, nec nimis frigide cubent necesse est; fasciae circa alvum non nimis arcte alligandae sunt, et in universum omnia evitanda, quae lochiorum vel lactis secretionem perturbare possint.

Morbus autem semel exortus quominus ad contagium transeat, impediendum et, si jam transiit ad contagium, hoc delendum ejusque in infecta puerpera evolutio retardanda est. Aëris purificatione, calcaria chlorinica adhibita, imprimis autem aegrotarum a sanis separatione, secundum Schoenlein contagii eruptio prohibetur. Sin vero jamjam evolutum est contagium, aegrotae nondum infectae statim domum illam relinquunt, infectae in ea remaneant necesse est. Domus praesidiis est claudenda, uti in peste; omne hujus domus lignum comburendum; parietes calcariae chlorinicae solutione lavandi. Quod attinet ad contagium in corpus illatum, primis viginti quattuor horis, ubi symptomata tunicae mucosae et systematis nervorum apparent, medici est contagium delere; quem ad finem emeticum ex ipecacuanha et tartaro stib. paratum datur, attamen parvis dosibus, ita ut vomitui nausea antecedit.

Altera indicatio est morbi.

De curatione diversas esse medicorum sententias, in initio hujus scripti jam meminimus, etenim alii irritativam, alii antiphlogisticam adhibent methodum. Respiciendus

autem est in curatione hujus morbi febris character, qui quidem modo hanc, modo illam postulat methodum.

a. In feбри puerperali erethica praecipue affectionis topicae et magnae ad exsudatum inclinationis ratio est habenda. Detractiones sanguinis universales apud robustas tantum mulieres admittendae sunt, topicae autem hirudinibus medicinalibus non omittendae; praeterea fomentationibus et unguento cinereo utendum ac praecipue, ut secretiones sint apertae, curandum est. Quam ob rem diaphoresis balneis tepidis, interne liquore ammon. acet., diuresis digitali, secretio alvi calomelane vel oleo ricini, secretio lactis eo provocanda est, ut mater ipsa infanti mammam praebeat, vel si secretio nimis retardatur, cucurbitulis siccis pectori impositis; secretio lochiorum calidis vaporibus, injectionibus irritantibus in vaginam adjuvatur. Diaeta sit antiphlogistica, potus tepidus. — Ad hunc erethicum febris characterem reliquae febres sunt reducendae.

b. Febris puerperalis inflammatoria antiphlogosin postulat severam, praesertim venaesectionem et hirudines medicinales alvo applicandas, calomelanos doses magnas. Ceterum, uti in prima forma, est agendum.

c. In feбри puerperali gastrica, si turgescencia ad superiora adest, emetico est utendum, venaesectione praemissa; postea eccoprotica porrigenda sunt. Quod attinet ad emetica, a multis medicis in feбри puerperali sine exceptione adhibita sunt. Willis, White, Dougl-

cet specificum habebant emeticum in febris puerperali. Doulcet autem secundum Alphonse le Roi emeticum morbo finito dedisse fertur. Etiam Hufeland, Oslander et Désormeaux emeticis utebantur. Désormeaux primum sub finem anni MDCCCXXVIII. maxima cum utilitate ea adhibuit. Anno sequente emetica rursus administrata plerumque ad irritum ceciderunt; nunquam tamen dolores augebant. In novo periculo optimum habebant eventum. At monendum est, in his casibus prosperis praeterea quadraginta hirudines medicinales ac cataplasmata tepida adhibita, et ipecacuanha sudores copiosos esse effectos, vel faeces copiosas, biliosas.

d. Forma febris puerperalis torpida secundum Schoenlein vel per se, stadio irritationis praecedente, vel ex alia forma oritur, stadio intrante nervoso. In hac secunda forma remedia mitigantia, sedantia sunt impendenda, velut hirudines medicinales, cutis frictiones et fomentationes. In alvi obstructione decoctum tamarindorum et clysmata aperientia locum teneant necesse est. Si cutis est sicca, balneis tepidis; si sudoribus tenacibus specificis olentibus est obiecta, eccoproticis, acidis, digitali utendum est.

Tertia indicatio est exituum, prae ceteris exsudationis. Nova in exsudatione secretio provocanda est, ut illius formatio impediatur et, si adest, minuatur. Quem ad finem assequendum praecipue calomelane, interdum etiam oleo terebinthinae uti debemus. Haec autem re-

media secundum Schoenlein rejicienda sunt, si organum, cujus secretio remediis illis adjuvatur, jam ultra modum secernit.

Oleum therebinth. a Brenan commendabatur, qui febrem puerperalem anno MDCCCXII. in domo obstetricia Dublinensi maxima cum vi exstitisse multasque puerperas exstinxisse refert. Sed casus illos a Brenan allatos diligenter perscrutantes, ne in uno quidem argumentum certum de bono olei tereb. effectu in febre puerperali reperimus. — Josephus Clarke haec fere de hoc remedio ait: multa sunt instituta pericula cum oleo tereb. rectific., dosibus sex vel octo drachmarum, modo cum oleo ricini. Primae doses, aegrotis plerumque graetae, dolorem mitigare videbantur; doses autem saepius repetitae taedio iis erant, et nonnullae aegrotae se mori malle, quam rursus hoc remedium sumere affirmarunt. Cujus remedii effectus ita explicandus est, ut processum inflammatorium revulsive a peritonaei superficie ad secernentem tunicae intestini mucosae superficiem transferat, et materiaram nocentium, quae in faecibus foetidis et biliosis sub lymphae plasticae forma continentur, evacuationem efficiat. Quum vero calomelane ad eundem effectum melius ac tutius pervenire possimus, oleum tereb. nunc tantum adhibetur, si morbus ad typhosam vergit formam, si affectio peritonaei inflammatoria in gangraenam transit; ergo sub conditionibus similibus, atque in typho abdominali.

Quod attinet ad calomelanem, specificam et singularem habet vim in vasa resorbentia, secretiones in intestinis serosas adjuvans, inclinationem succorum praeva- lentem ad exsudationem et effusionem serosam coërcens. Dosis ejus atque ratio, qua adhibetur, differunt; plerum- que majoribus dosibus quam alias porrigitur. Optima est conjunctio cum opio et cum digitali. Secundum Lee plus quam quinquaginta calomelanos grana magna cum utilitate porrigebantur. Rarissime tantum salivatio exorta est. Nunquam Lee his magnis hydrargyri dosibus debilitatem, alvum tympaniticam, vomitum, magnam ventri- culi irritationem exoriri vidit. — Post secundam calo- melanos dosin saepe clyisma laxativum, vel potionem ex senna et sale quodam Lee adhibuit.

Praeterea infrictiones unguenti mercurialis cum cam- phora et opio in alvum indicatae sunt.

Abscessus in ventre vel in regione inguinali exortus cataplasmatibus tepidis ex cicuta et hyoscyamo maturan- dus, deinde, fluctuatione perspicua, aperiendus est.

Interne apud tales puerperas acidum sulph. dilut., china, aqua Selterana cum lacte adhibeantur necesse est, ut febris frangatur hectica.

V I T A.

Ego, Joannes Henricus Guilelmus Thielbein, confessioni evangelicae addictus, Gardelegiae, oppido in Palaeomarchia sito, natus sum die quarto Novembr. anni duodevicesimi, patre Henrico Thielbein, cancellariae inspectore, matre Dorothea e gente Schöndube, quos parentes morte jam abreptos valde lugeo.

Primis litterarum elementis Gardelegiae imbutus, anno MDCCCXXXIII in gymnasium Stendaliense, sub auspiciis directoris clarissimi Haake florens, me contuli. Quod quidem gymnasium per annos sex et dimidium frequentavi. Anno MDCCCXXXIX tempore autumnali, maturitatis testimonio instructus, almam universitatem petii Halensem, ubi ab Ill. Pernice, t. t. prorectore ma-

gnifico, die XXX. m. Octobris inter cives receptus academicos, his interfui scholis:

De logice et psychologia Ill. Erdmann; de botanice Ill. de Schlechtendal; de rebus physicis Ill. Kaemtz; de chemia Exp. Steinberg; de zoologia Ill. Burmeister; de mineralogia Ill. Germar; de anatomia, nec non de arte cadavera rite dissecandi et de physiologia Ill. d'Alton; de pharmacologia Ill. Friedländer; de pathologia et therapia, tam generali quam speciali Ill. Krukenberg; de chirurgia, de ossibus fractis et luxatis, de rebus ophthalmiatricis Ill. Blasius; de arte formulas rite concinnandi, de medicina forensi et politica medica Ill. Kraemer.

Tres per annos Halae versatus tempore auctumnali anni MDCCCXLII in hanc almam universitatem Berolinensem me contuli, ubi ab Ill. de Raumer, t. t. rectore magnifico, inter cives academicos receptus, hos audivi viros disserentes: Cel. Kluge de arte obstetricia; Cel. Romberg de propaedeutice diagnostica.

Scholis clinicis medicis, chirurgicis et obstetriciis interfui Illustrissimorum et Celeberrimorum virorum Wolff, Juengken, Blasius, Kluge.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, maximas ago semperque habebō gratias.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, nec non examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur.

T H E S E S.

1. Trepanatio minus periculosa est, quam morbi, quibus mederi studet.
 2. Omne remedium est specificum.
 3. In morbis syphiliticis mercurius curationi antiphlogisticae praestat.
 4. Mortis certum signum non est, nisi putredo.
-
-